Ego eadem animi aequitate, et bene et male
audire possum. Orate pro nobis ut Deus fa-
cie sua nos collustret. Fiat, Vale. Bremae. postri-
die Calend. Augusti 1577.

Vobis amicus
Johannes Molanus.

Joh. Esichio Leidae
Pax Christi.

286) [= Mscr. a. 7 Nr. 296]

Equidem in colligenda Bremae schola fidelis,
quoad potui, fui, et religiosus in eadem caste
integreque retinenda. Sed ut nihil est in hu-
manis rebus perpetuum aut stabile: ita his
annis 14. quibus hic excubias egi velut in Nau-
pacto, hanc jam alteram scholae familiaeque
meae ruinam spectavi, et quidem in ea tem-
pora incidit dissipatio, quum nobis rebus quam
optime constitutis maxime florere videre-
mur. Sic est voluntas Domini, qui pro sua sa-
pientia nunc aedificat, nunc diruit: nunc colli-
git, alias dispergit. Itaque qua animi aequitate
incrementa laborum nostrorum contemplari
soleo: eadem hanc scholae, domusque conversio-
nem accipio et fero. Et quidem protinus mini-
me . . . . confectus labore et senio, non re-
cusem quiescere, alioque felicius . . . . . .
. . . . Quae dilapsa est a nobis juventus: ea
fere eodem numerose convenit. Nempe, ut
Physici ferunt, ex unius interitu alterius ortum
existere. Quae mihi perfecta divinitus sors fu-
it, in eadem acquiescens, magnos aliorum ace-
rvos sine invidia et irreverentis oculis spe-
ctare possum. Deus est, qui judicium exer-
cet in populo suo, cuius potentissimae ma-
nui merito submissi subjectique sumus. Pestis
in urbe subinde fit se ipsa saevior: ea si
meum quoque tabernaculum pulsaverit, feri-

bos in Epitaphio Melanum ſuum qui extra ſcho-
lam, nullam unquam vitam putavit, cum eam re-
pente ex florentiſſima, nullam factam con-
ſpexiſſet, dolori ſuo ſupereſſe non potuiſſe. Sin
Deus pater vitæ noſtræ hanc domum, nempe tuū
ſenem, cum conjuge, tribusq; parvis liberis
clementer ab hoc incendio defenderit: quid-
quid adhuc in me vel animæ, vel ſpiritus
vetuſtas reliquum fecerit, id totum in collige-
dis naufragii noſtri tabulis ponetur. Sed
ſentio id ipſum eſſe perquam exiguum, quo e-
quidem τῶν καιρῶν τῆς ἐμῆς ἀναχώρεως pati poſ-
ſum. Vos vivite interea, et florentem iſtam vi-
tam, quem Deo ejusq; obſequio maturè conſecra-
ſtis, retinete quam diutiſſimè. Tua certè
pietas, ſuaviſſime Joh. Ephr. tuum ſtudium
tuus ardor diſcendi, tua denique incredibilis
in iſta ætate tolerantia, quas eximias eſſe
virtutes ſitas eſſe, ſpem mihi certam faciunt
fore, ut in atriis Domini feliciter floreas,
et fructum efferas dignum ubertate tui inge-
nii, dignumq; noſtrâ fideli inſtitutione,
in modo, quo virtute tua te vocat, i pede fauſto.
Lubens intelligo te iſtic novâ Academia ſuac-
ſibi delectari, quam ſi Dominus ſua benedi-
ctione proſperaverit, quantus illic erit pa-
triæ noſtræ theſaurus! quantum præ aliis
ſuperbis populis ornamentum! Habet qui-
dem Hannonia Duacum, Brabantia Lovani-
um celebres ſcholas: quis neget? ſed quum
illic aut proculcatis Monachorum deliriis,
aut Jeſuitarum ſacrilegiis furoribusq; ferveat
omnia: adeò non poſſunt illæ celebritates,
cum Lugduno Batavorum comparari, ut

hujus reſpectu

huiꝰ respectu, illa pro antris Trophonii, aut — de Ao 1577.
pro Cyclopum contuberniis merito censeantur.
Scilicet, ut eruditionem spectatam parvi puta-
mus, cui pietatis doctrina non illuxit. Sic illam
scholasticorum cumulatam colluviem, quae Christi
iugum nunquam subiit, quae non regitur verbo
veritatis, nec in coelestem sapientiam aspirat: ne
nomine quidem universalis scholae dignam esse ar-
bitramur. Istam vero novam Batavorum Academi-
am ita mihi magnifice praedicasti, ut eam non
dubitem frequentissimis Collegiis anteponere,
de quibus Gens Saxonica tantopere gloriatur.
Petis, ut te adiuvem aliquo testimonio, quod
egre vivendi viaticulum pro thesauro esse pos-
sit. Utinam esset aliquod pondus meae commen-
dationis, nulla est laus ingenii, aut probita-
tis, quam non ipse ultro tibi obtulissem.
Semper te in discipulis Bremensibus maxime,
ac et pro filio amavi, proinde nihil est, quod
malim, quam tibi tuisque studiis quacunque pos-
sim ratione aliquid opis afferre. Habeo isthic
nonnullos veteres amicos, in amplissima
fortuna modestissimos quidem: sed ita dis-
tentos curarum magnitudine, ita alto loco con-
stitutos, ut vix audeam ex hoc humili pul-
vere meis literis eos sollicitare. Verecundi-
ore semper fui ingenio, quam ut ad magnos
viros, ne per epistolam quidem me praesu-
merem adiungere. Si quid tamen erit
negotii gravioris, ubi meas literas, vel ad
Doct: Adrianum Hamder Med. vel ad Doct.
Philippum Marnixium Aldegondium reqras,
sentiam audaciam, et ne tibi non magnum for-
tasse: sed tamen non ingratum patronum prae-
stabo. Vale postridie nonas Augusti 1577. Salu-
tem dic D. M. Herm. Renneckero

Breme

Tuus olim Rector
Johannes Molang.

[An Vardemann]

287/

[= Acer. d. J. Nr. 297]

Pax Christi.

Ut me Vardemanne subinde angit cogitatio status vestri: sic vos scio vehementer teneri desiderio rerum nostrarum. Et quoniam in tempestate (quod aiunt) domi manendum est; Debemus singulique alterique animo obsequi crebra literarum reciprocatione. Quam quidem ego ad rem adeo sedulus non fui, ut hunc totum Julium consumpserim literis ad amicos, aut ad discipulos scriptitandis: Vix credas in hoc otio non me minus negotiosum esse: quam cum versarer in ~~nostra~~ media palaestra. Et nescio quo modo ad senectutem usque in assidua contentione versatus: nullam mihi ipse requietem indulgere possum. Ut igitur de nostris rebus certior fias, valemus etiam nunc, Ego, Uxor, liberi, duo Magistri, Nicolaus, uxoris mater et ancilla.

Multas interea familias honestas pestis infecit, dum nos Deus et Dominus noster Jesus Christus incolumes conservat. Adjuvamur haud dubie vestris, et quorundam bonorum precationibus, quas Deus exaudit potissimum nunc, cum in angustiis sumus. E quibus etsi nondum emersimus: adhuc enim villas nobis et Cumis astram minantur: tamen bona spe nitimur, futurum, ut ubi hic aestus se remiserit contagionis quoque incendium defervescat, et scholares aliquot sub adventum hyemis, tanquam grues in nidum relictum colligantur. Quam vellem videre diem illum, nihil esset